



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. XVI. De sensu mystico, & Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Scholastica
Theologia
& historia
multum con-
ducit.

Tertio plurimum refert Theologia Scholasti-
ca, Conciliorum definitiones, historia etiam hæ-
refum ad eam saltem partem Scripturæ intellige-
dam, quæ circa dogmata nostræ fidei versatur:
quare si quis sola linguarum peritia instructus, &
assidua Scripturæ lectione exercitatus epistolas
Pauli, præcipue quæ est ad Rom. & Galatas, ex-
planandas susciperet, in maximo periculo versa-
retur.

Contextus
diligenter
observandus.
18.

Postremo tandem curandum est contextum
cuiusque Scripturæ novi præcipue testamenti ob-
servare. Quamvis enim Prophetis familiare sit re-
lictio argumenti, quod susceperant ad alia myste-
ria digredi, cū ipso spiritu prophetico rapiuntur:
in nouo tamen testamento hoc non contingit,
præsertim vero in epistolis Apostolorum, quæ cū
in tradendis documentis morum, & doctrinæ
versentur, vno contextu argumentum proposi-
tum sequuntur, suo tamen ordine alia inde dedu-
centes. Plurimum autem conducit ad totam con-
textus seriem ordinandam vim particularum, qui-
bus Scriptores vtuntur, intelligere: atque de
causali, enim, hoc vnum est observandum, quod
solet non mediocrem difficultatem ingerere, vi-
delicet non semper referri ad proxime præceden-
tia, sed ad ea, quæ ante dicta fuerant: hoc autem
statim apparet, quoties proxime præcedentibus
particula non quadrat: alias vero regulas expli-
candi Scripturam longius exponere, nostri iusti-
tuti non est.

DISPUTATIO XVI.

De sensu mystico & spirituali.

Quid sit sensus mysticus. cap. 1.

Quotuplex sit sensus mysticus. cap. 2.

Quatuor sensus Scripturæ exemplis illustrantur. cap. 3.

Corollaria præcedentis doctrinæ. cap. 4.

Quomodo mysticus sensus utilis sit ad arguendum. cap. 5.

CAP. I.

Quid sit sensus mysticus.

Definitio
sensus my-
stici.

QVIDNAM sit mysticus, seu spiritualis sensus
ex superiori disputatione patet: est enim,
iuxta communem sententiam doctorum, quos
ibi commemoravi, ille, qui nec proprie, nec meta-
phorice vocibus proxime significatur, sed qui sub
rebus significatis per voces, quasi sub umbra, &
figura conclusus est: ob quam rationem mysti-
cus, hoc est, arcanus, & reconditus dicitur: spiri-
tualis vero vocatur, quod lateat sub rebus, sicut
spiritus sub corpore. Ad maiorem autem huius
definitionis perspicuitatem pro fundamento im-
primis statuendum est, internum mentis conce-
ptum non solum vocibus proprie, aut metapho-
rice usurpatis, sed rebus quoque alijs significari
consuevisse, vt patet in symbolis, & hierogly-
phicis Aegyptiorum, in ape enim, quæ aculeum,
& mel habet Regem misericordia, & iustitia præ-
ditum significabant, & in id genus alijs. Ex qui-
bus rebus Pythagoras, alijsque insignes philo-
sophi multa salutaria documenta ad morum in-
structionem tradebant, quæ proverbia vulgo di-
cuntur.

Notus non
vocib. tan-
tum res signi-
ficari solent.

Pythag.

Scripturæ
peculiaris
est sub hi-
storia mys-
ticæ pro-
dote.

Cæterum, quamvis hoc ita sit, vera est nihilo-
minus sententia, quæ dicit, peculiare esse sacræ
Scripturæ, sub eadem litera historiam & myste-

ARTIC. X.

rium continere. Quam sententiam expressit Gre-
gor. lib. 20. moral. c. 1. cum asserit, sacræ Scriptu-
ram hoc alijs omnibus præstare scientijs, quod
eodem sermone, dum narrat textum, prodit my-
sterium. Idem docuit S. Thomas in hoc artic. &
quod lib. 7. art. 8. longe enim alia ratione mystica
significatio in rebus ipsis apud sacræ Scripturam
reperitur, quam apud Ethnicos philosophos vn-
quam fuerit.

Gregor.

S. Thom.

Quam differentiam, vt clarius exponamus, no-
tandum secundo est, tria esse genera signorum,
quibus res significari possunt. Primum est vocum.
Secundum est rerum inferiorum, quæ pro arbi-
trio conficiuntur, vel etiam vere gestæ ad res maiores
significandas adducuntur: & utroque modo com-
mune est etiam hominibus significare res alias, vt
de Hieroglyphicis Aegyptiorum diximus, qui vel
animalibus, vel alijs etiam rebus fictis res miras
exprimere solebant. Tertium genus est, quo solus
Deus in Scriptura vtitur, rerum scilicet, quæ vere
inter homines acciderunt, quarum historia ipse
voluit denotare mysterium, quod multis postea
annis futurum erat. Talis fuit reuocatio filiorum
Israel de Aegypto, qua significabatur Christus
multo postea tempore ex Aegypto reuocandus.
Manna etiam cadens de celo, quod non solum pa-
uit populum 40. annis, sed indicare voluit Eucha-
ristiæ sacramentum futurum, & id genus alia. Hoc
tertio genere signorum sensum mysticum conti-
nere, & sicut dixit Gregor. historiam narrare, & ea
mysterium exprimere, Scripturæ sacræ proprium
est. Et quamvis homines inter se ipsos rebus et-
iam gestis vt possint: hoc tamen solum ab eis fit
post factum, adducendo eas in parabolam, exem-
plum, aut similitudinem. Scripturæ autem pro-
prium est, non solum vere gesta in parabolam af-
ferre, sed etiam ea ita narrare, quæ vere gesta sunt,
vt auctor Scripturæ altiora mysteria futura deno-
tare velit.

Signorum ge-
nera tria.

2.

Greg.

Nota dif-
ferentiam hanc.

Tertio observandum est, sensum mysticum
non semper in Scriptura rebus inferioribus ex-
primi, sed interdum etiam res inferiores maiori-
bus significari. Christi namque passio extra por-
tam repræsentat id, quod minus est, vt notauit
Paulus ad Hebræos 13. scilicet, Vt exeamus & nos
extra castra, in proprium eius portantes: frequentius
tamen rebus inferioribus superiores denotantur.
Postremo, vt commemorati Doctores in disp. 13.
admonent, sensus mysticus non est in omni loco
Scripturæ querendus: præcepta enim, & consilia
Evangēlica, ita sunt ad literam intelligenda, vt
nullus in ea litera spiritualis sensus contineatur.
In alijs etiam locis quilibet sensus mysticus, iuxta
sensum cuiusque explicatus non debet statim cen-
seri ex mente Spiritus sancti, qui est præcipuus au-
ctor, significari: tamen hic vsus Scripturæ, sicut
etiam accommodatius utilis in concionibus
cenferi debeat.

Res mino-
res maiori-
bus intrin-
sicè in Scrip-
turæ signifi-
cantur.
Ad Heb. 13.
3.

Sensus my-
sticus non
semper qua-
rendus.

CAP. II.

Quotuplex sit sensus mysticus.

QVOTUPLEX vero sit hic sensus mysticus, non
statim videtur constare inter Doctores: qui, li-
cet diuersa dicant, sibi tamen non aduersantur.
Sensus igitur Scripturæ vniuersim consideratus
duplex est, alter literalis, seu historicus; alter spiri-
tualis, seu mysticus: quorum differentia in genere
hæc-

hactenus explicata est. Ceterum spiritualis, seu mysticus varie diuidi solet. In primis autem affertur distinctio quædam ex August. lib. de uilit. creden. cap. 3. quam Sixtus Senen. lib. 3. Biblioth. sanctæ, cap. 3. in hunc modum disponit: *Sacra Scriptura duplex est explanatio, uidelicet historica, & allegorica. Rursus historica alia est analogica, alia ætiologica. Allegorica uero triplex. Prima figurarum rerum præteritarum ad præsentia accommodat, & retinet nomen allegorica. Secunda ad mores, & dicitur tropologica. Tertia ad incommutabilem æternitatem, & dicitur anagogica.*

Verum August. eo loco quatuor tantum modos assignat, quibus Scriptura ueteris testamenti traditur; secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam: quibus Græcis nominibus se uti maluisse testatur, quod ita ab aliis accepisset: atque, ut rectè obseruauit Dried. lib. illo 2. de sacra Scriptura, c. 7. post medium, Augustinus non dixit, quadruplicem esse sensum sacra Scripturae, sed eam quatuor modis tradi, aut doceri. Primo quidem secundum historiam, cum id, quod factum est, aut non factum narratur. Secundo iuxta ætiologiam, cum ostenditur, quid qua de causa factum, vel dictum sit. Tercio secundum analogiam, qua utriusque testamenti congruentia perspicitur. Quarto tandem secundum allegoriam, cum docetur, non ad litteram esse accipiendam, sed figurare aliqua, quæ scripta sunt.

His uero quatuor modis usus fuisse Christum Dominum, & Apostolos, testatur ibidem Augustinus. Primo usus est Christus Matth. 12. cum affert historiam David, 1. Reg. 21. qui panes propositionis comedit. Secundo usus est Matth. 19. cum ostendit causam, ob quam Moyses permisit populo Iudaico libellum repudiij. Tertijs modi nullum affert exemplum. Quarto denique modo affertur Scriptura Matth. 12. cum dicitur: *Signum non dabitur ei, nisi signum Iona Propheta*: & quamuis quatuor his modis Scriptura ueteris testamenti traditur; omnes tamen in nouo reperiuntur, in quo ita variè Scriptura uetus adducitur. Frustra ergo Sixtus Senen. ex mente Augustini, tot sensus Scripturae eo ordine numerauit, cum neque de sensibus Scripturae Augustinus tractet, neque tot membra distinguat.

Hieronymus uero in epist. 150. ad Eudibiam, q. 12. affirmat, trifariam posse intelligi sacram Scripturam: non dicit tradi, aut doceri, sed intelligi. Ex quo sequitur triplicem sensum Scripturae nobis tradidisse. Primus est secundum historiam. Secundus per tropologiam. Tercius iuxta intelligentiam spirituales, quam *hieronymus* appellant. De primo satis constat. Secundum autem dicit esse quando id, quod in priori populo carnaliter gestum est, iuxta moralem interpretatur locum, & ad animæ nostræ emolumenta conuertimus. In tertio denique, ad sublimiora, inquit Hieronymus, *transimus, terrena dimittimus, & de futurorum beatitudine disputamus.* Hunc tertium modum iterum diuidit Sixtus Senen. in allegoricum, & anagogicum, ut ita diuisio Hieronymi eum uulgata, & communi ex omni parte concordet: non tamen ex mente Hieronymi: ille enim tres tantum, ut diximus, sensus Scripturae recensuit.

Est autem per uulgata, & communiter recepta sensum Scripturae diuisio, quam tradunt Eucherius in præfatione libri Spiritualium formarum, &

Cassianus collatione 14. cap. 8. ubi afferunt quatuor esse genera illustrandi sacram Scripturam, ex quibus quatuor sensus Scripturae Theologi communiter cum S. Thoma in hoc articulo deducunt. Ita Lyranus, Burgen. Abulen. Driedo, & alij, quos disput. 13. allegauimus. Primus est historicus, de quo satis disput. præcedenti dictum est. Secundus est tropologicus, seu moralis; qui ad uitæ emendationem refertur. Tercius allegoricus, quando in gestorum narratione, & historia mysterium aliquod fidei nostræ continetur. Quartus denique anagogicus, qui refertur ad ea, quæ sunt æternæ beatitudinis: his autem duobus uersibus continentur:

Littera gesta docet: quid credas allegoria.

Moralis, quid agas: quo tendas, anagogia.

Hos quatuor sensus indicare uidetur August. lib. 1. super Genes. ad litteram, cap. 1. ubi sic loquitur: *gustinus.* In libris omnibus sanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrantur, quæ futura prænantientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur. Quorum omnium exempla ex nouo testamento cap. sequenti proferemus.

Ex his omnibus fit manifestum, sub primo, & literali sensu non tamen mysticum, & spirituale contineri, sed cum etiam ita uarium esse, sicut dixit Eucherius: & quamuis liberum sit in duos tantum modos omnem sensum diuidere, & complecti, literalem scilicet, & mysticum, nec ulterius mysticum distribuere in tres illos enumeratos, cum hæc uerborum parua, non magna rerum dissensio sit, negari tamen non potest mysticum sensum ad mores, & ad mysteria fidei, & ad celestem patriam pertinere; siue hoc, siue alio modo nuncupare uelis. Neque enim omnes Patres tot membra sensus mystici sub illis nominibus recensuerunt, quot Eucherius & Cassianus. De Hieronymo iam constat, qui loco allegato tres tantum refert, in quorum secundo complectitur sensum, qui ad mores pertinet, & ad mysteria fidei. Ipse etiam passim in commentariis prophetarum, & Augustin. lib. 1. de Genes. ad litteram, cap. 2. Dionys. de celesti Hierar. cap. 2. & in epist. 9. quæ est ad Titum, Origines, & alij Patres in 13. disput. allegati duos tantum sensus literalem scilicet, & mysticum enumerant. Cyrillus autem libro 5. in Leuit. ante medium, Ambros. lib. 3. in Lucam, in illud cap. 3. *Qui fuit Phares*, & Bernard. serm. 61. ex partibus sermon. præter historicum recensent etiam moralem, & mysticum, forsitan moralem non distinguunt à literali, sed ab historico, pressè, & propriè historiam accipientes, pro narratione rei gesta: sic enim non omnis literalis est historicus, sed aut historicus, aut moralis: in Scriptura enim non solum narrantur res gesta, uerum etiam præcepta morum, & uitæ traduntur. Qua etiam ratione Ambrosius lib. 5. in Luc. cap. De seruo Centurionis, in eo quod ille fecit pro eodem accipit sensum literalem, & moralem, ex quo etiam mysticum elicit de morte Christi, & lib. 5. in Lucam, cap. De eo, quod in Sabbatho secundo primo, de facto Achimelech, 1. Reg. 21. inquit: *Verum hoc in historia morale, in mysterio prophetico est.* Quibus consentire uidetur Beda præfatione in Psalmos, qui ad tria docet pertinere sacram Scripturam, ad historiam, ad mores, & ad mysterium. Verum eo loco non assignat varios Scripturae sensus, sed vniuersa, quæ in Scriptura continentur, ad tria capita reducit.

Denique

Hugo.

Denique Hugo de S. Victore præter literalem de aliis duobus tractat: libr. enim 6. eruditionis didascalice cap. 3. agit de literali: cap. 4. de allegorico, quem ad myteria fidei dicit pertinere: sub quo etiam anagogicum possumus complecti, & cap. 5. de Tropologico, quem moralem appellat.

His tamen non obstantibus, claritatis gratia, commode diuiditur sensus Scripturæ in quatuor illa membra ex sententia Eucherij, & Cassiani enumerata, quorum exempla exstant in nouo testamento, ut sequenti capite videbimus. Mitto aliud genus explanandi Scripturam parum vitatum, elementarie nimirum expositionis, quæ ex literis ipsarum vocum desumitur; & rursus in Physicum, & propheticum tribuitur, de qua relativissime Sixtus Senen. lib. 3. Biblioth. sanctæ, cap. 5. & sequentibus.

CAPVT III.

Quatuor sensus Scripturæ exemplis illustrantur.

8.

Quatuor sensuum, quos ex Eucherio, & Cassiano recensuimus, vna ciuitas Ierusalem nobis præbet exemplum. Nam in Scriptura sacra ad literam est ciuitas terrena: iuxta Tropologiam est anima: secundum allegoriam est Ecclesia: per anagogiam est patria cælestis. Horam etiam sigillatim in nouo testamento plura sunt exempla, quæ simul in vno loco epistolæ ad Galat. cap. 4. licet intueri. Dicitur enim Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. In qua parte literalis sensus manifeste apparet. Quæ vero subiungit. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: & quæ sequuntur, ad sensum allegoricum pertinent. Sequitur deinde: Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequeretur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc: quod ad Tropologium, seu moralem refertur. Denique cum addit: Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra, sensum explicat anagogicum.

Ad Galat. cap. 4.
In hoc Pauli loco quatuor prædicti sensus inueniuntur.

Alia etiam in nouo testamento manifesta exempla trium sensuum spiritualium reperiuntur. Ad maiorem pertinet illud 1. Corinth. 9. Non alligabis os boui trituranti. Quod citat Apostolus ex Deuteronom. 23. sensum autem moralem refert ad ministros Evangelij, quos existimat dignos mercede sua, cibo nimirum, & sustentatione. Neque enim Apostolus intellexit de ipsis ad literam dictum fuisse Deuteronom. 23. ut quidem arbitrantur; quod aliqui argumentum Apostoli ex sensu mystico infirmum esset. Quoniam certum est, Iudæos ex præcepto legis non alligasse os boui trituranti, verum cum res illa leuissima videretur, ut alius tantum Deus curam habuisset, & nihil maius voluisset ea significare, optime colligit Apostolus, eo facto Deum etiam indicasse ministros verbi Dei, iure alendos, & sustentandos esse: quæ de causa subiunxit, Nunquid Deo est cura de bobus: an propter nos vtrique hæc dicit? ac si diceret, in ea lege, & præcepto Deus non tantum ad bouem, quæ villior res est, sed quod dignius est, ad sustentationem etiam ministrorum attendit: neque enim negat Apostolus, Deum curam etiam bouum habuisse, cum lex de illis ad literam loquatur. Quocirca & argumentum Apostoli non parum roboris habet, etiam si symbolicum, & ex sensu mystico ductum sit. Mysticus enim sensus ex illa litera facili ratione colligitur. Adduci etiam solet in exemplum huius

Ad Cor. 10. sensus moralis illud 1. ad Corinthios 10. Hæc autem

Argumentum Apostoli ex mystico ductum sensu quo paulo vmbabatur.

1. ad Cor. 9.

9.

in figura facta sunt nostri, &c. Verum disputat. 14. cap. 6. probatum est, eam Scripturam, quam recitat Apostolus, non in sensu mystico, sed per accommodationem usurpari.

Exempla vero allegorici sensus per multa sunt in nouo testamento, Ioan. 3. adducitur à Christo sensus passim inuenitur in nouo testamento. Ioan. 3. Numer. 21. de æneo serpente, qui fuit expressa figura crucis sue, & Matth. 12. & Luca 11. affertur signum Ionæ, quo sepultura & resurrectio sua adumbrabatur. Hæc etiam spectant testimonia illa Osee 11. & Ieremie 31. quæ in sensu mystico solum accipienda esse disputat. 14. monstrauimus. Luca 11. Cumque ad myteria fidei referantur, sensus illorum allegoricus dicitur. Illud vero de æneo serpente ita per omnia quadrat in crucem Christi, & admirabiles effectus illius, ut statim in ipso appareat mysterium. Quare non licet solum accommodationem in eo concedere: in signo vero Ionæ magis perspicuum est, sensum mysticum contineri. cum enim Pharisæi à Christo postularēt signum aliquod, quo ipse tanquam verus Messias agnoscereetur, hoc tantum eis signum concessit, neque expressius aliquod tunc eis exhibere voluit.

Denique anagogici sensus appositissimum exemplum est apud Paulum ad Hebræos 3. & 4. ubi tractat locum illum Psalm. 94. Hodie si vocem eius audieritis, &c. & infra, Quibus intravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, id quod ad literam populo Iudaico accidit: iis enim, qui increduli fuerunt ad aquas cōtradictionis, iurauit Deus terram promissionis non ingressuros: eum ergo Paulus cap. 4. subiungat: Etenim & nobis nuntiaturum est, sicut & illis, plane censet incredulis etiam intrasse Deum non ingressuros cœlestem patriam, quæ terra illa promissionis figurata fuit: Et post pauca: Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, scilicet requiem Domini, & q, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quemdam hodie in David dicendo post tantum tempus, sicut sup. aduertit: hodie si vocem eius audieritis, nam si Iesus requiem præstiterit, nunquam de alia loqueretur posthac die: itaque relinquatur Sabbathismus populo Dei. Quasi dicat, propterea multo post tempore David dixit Hodie, ut indicaret adhuc alios superesse, qui ingressuri sunt, non quidem terram promissionis, sed æternam felicitatem, si enim Iesus Naue præstitisset populo Israel plenam requiem, quæ dicitur in Psalmo, Requies mea, hoc est, requies Domini, nunquam alterius diei meminisset dicendo: Hodie si vocem eius audieritis. Hoc autem dixit, quia adhuc Sabbathismus, & requies æternæ vitæ superest populo Dei. Eandem requiem patriæ cœlestis dicit Paulus figuratam fuisse Genes. cap. 2. cum Dominus septimo die requieuit ab omni opere. Sic enim post labores huius vitæ nos manet æterna illa requies, & felicitas. Est igitur hic sensus anagogicus inclusus in eo, quod accidit populo Israel, quem non tantum elicit Paulus ex historia illa, sed etiam affirmat expressum fuisse à Propheta in eo Psalmo, ita ut David ipse ex vmbra illius requiei terrestris & temporalis, quam Deus credentibus Israelitis post quadraginta annos seruauit, cœlestis patriæ requiem, quæ nos adhuc manet, in sensu mystico intellexerit: & hunc esse sensum literalem Psalmi, qui est anagogicus illius rei gesta in populo Israel, meo iudicio Paulus existimauit. Est etiam anagogicus sensus explicatus à Paulo ad Hebræos 8. ubi materiale templum Salomonis, in quo sacerdotes

Locus à Paulo in anagogico sensu adductus, Ad Heb. 3. & 4. Psalm. 94.

Ad Heb. 4.

11.

Sensus Pauli

Sabbathismus requies æternæ vitæ significabat.

Leuitici

Templum
Sole non
causis glo-
rie symbo-
lum, sicut
autem Paulus

Leuitici ministrabant, dicit esse ymbra futuro-
rum. De sacerdotibus enim ait: *Qui seruiunt ymbrae
futurorum*: hoc est, templo Salomonis, quo futu-
ram tabernaculum gloriae celestis non manufa-
ctum figurabatur: id quod etiam cap. 9. fufius
prosequitur.

CAP. IV.

Corollaria praecedentis doctrinae:

12. *Angulm.*
Sensus lite-
ralis ali-
quando al-
legoricus,
aut spiritu-
alis dicitur
a patribus
Angulm.
Orig.
Ambros.
Hieronym.
Cyprian.

Ad maiorem eorum, quae diximus, perspicui-
tatem, quaedam obseruatione digna addenda
sunt. Primum est interdum Patres sensum litera-
lem sub metaphoris, & tropis conditum appellare
allegoricum, seu etiam spiritualem. Allegoricum
appellauit August. epist. 48. vt dicemus in vltima
notatione, eo quod metaphoricè significetur.
Metaphora enim teste eodem Augustino 15. de
Trinit. cap. 9. allegoria quaedam dici potest. Orige-
nes vero, Ambrosius, Hieronymus, & Cassianus
disput. praeced. cap. 1. commemorati spiritualem
vocalunt, quod sub ipso cortice literae quodam-
modo occultè contineatur: cum tamen proprie
dicendus sit literalis, vt ibi late comprobauimus.
Contra vero mysticus sensus aliquando literalis
dicitur, quod sit ex intentione Spiritus sancti, vt
seq. disput. videbimus.

13. *Angulm.*

Secundum est, inter hos omnes Scripturae
sensus literalem esse praecipuum, si formalem ra-
tionem sensus, non rem ipsam, aut intentionem
Spiritus sancti consideremus. Significatio enim
vocium primaria, & proxima praecipua est; ac
proinde significatum proximam secundum ra-
tionem significati praecipuum erit. Huiusmodi
autem est sensus literalis. Mysticus enim secun-
darius, & remotus vocibus est: rebus enim proxi-
me denotatur. Atque hoc modo vera esset sen-
tentia Burgenfis in additione super vtrumque
prologum Lyran ad 6. dubit. quæst. principalis,
cum docet, sensum literalem esse praecipuum in
Scriptura secundum dignitatem certitudinis, quia
certior est spirituali relatus ad speculationem in-
tellectus: vera inquam esset, si hoc tantum ideo
diceret, quia respectu nostri intellectus sensus
literalis proximè vocibus significatur, nec abscon-
ditus est, sicut mysticus: alioqui enim, cum mysti-
cus: etiam ex intentione Spiritus sancti signifi-
cetur, æque certus, & verus absolute dicendus est.
Mitto duas alias considerationes, quibus docet
sensem literalem praestantiores esse, quod mi-
noris momenti videantur. Quod si rem ipsam
significatam attendamus, sensus mysticus, vt plu-
rimum, nobilior est: quamuis & oppositum non-
nunquam contingat, vt 1. cap. diximus. Nobilior
etiam, & praecipuus dici potest, si intentionem
Spiritus sancti spectemus; eo quod Scriptura ad
eum significandum tanquam ad finem principalem
inspirata sit.

1. Cor. 9.

Hanc sensus dignitatem, & primariam Spiritus
sancti intentionem, indicauit Paulus 1. ad Corin-
th. 9. circa illud Deuteronom. 25. *Non alligabis os
boni trituranti*. Cum dixit: *Nunquid Deo cura est de
bobus? an propter nos has vique scriptas sunt: nam propter
nos vique scriptae sunt, quoniam debet in spe arare, qui
arat*. Verum cum sensu literalis res dignior signifi-
catur, & mystico res minus nobilis, sensus mysti-
cus neque nobilior erit hac ratione, nec iuxta in-
tentionem Spiritus sancti primarius. Hoc poste-
riori modo plane concedit Burgen. veram esse

eorum sententiam, qui docent sensum mysticum
praecipuum esse. Admonet tamen frustra adduci
in probationem illius, illud Pauli 2. ad Corin-
thios 3. *Litera occidit, spiritus viuificat*. Nam si ibi
Apostolus de literalis, & spirituali sensu Scripturae
loqueretur, non tantum sensus literalis minus
nobilis esset, sed etiam noxius. Neque enim dixit,
Litera minus utilis est, sed occidit. Id autem concedere
esset absurdum. Literalis enim sensus, qui vere
literalis est, ab Spiritu sancto significatus, nunquā
occidit. Fateor quidem, quosdam Patres disputat.
praeced. cap. 1. allegatos dixisse, sensum literalem
aliquando noxium esse, id tamen solum dixerunt,
vt ibidem notauit cap. 2. quoties locus metaphori-
cus est. Quoniam si tunc acciperetur secundum
primariam significationem, non autem translati-
tie, vere noceret. At sensum illum literalem non
esse, ibidem demonstrabimus.

Porro Paulus eo capite non de sensu literalis, sed
de litera legis, & veteris testamenti, cuius mini-
ster fuit Moyses, & de spiritu gratiae, & fidei, quem
ipse praedicabat, palam loquitur, vt notauit San-
ctus Thomas 1. 2. quæstio. 106. artic. 2. De litera
ergo legis, si destituatur spiritu gratiae, & fidei,
vere inquit occidere, vt passim admonet in epi-
stola ad Romanos, sic enim lex offendiculum
potius est, & occasio peccati, si desit adiutorium
gratiæ, quo impleatur. De spiritu vero fidei rectè
asserit viuificare, praestat enim vires ad obseruan-
da praecepta legis: quæ *si fecerit homo, viuet in eis*
ad Galat. 3. non solum vita temporali, fugiendo
pœnam, sed etiam spirituali, consequendo ver-
am sanctitatem apud Deum. Fateor tamen hoc
testimonio Pauli vñ Ambrosium libr. 6. in Lu-
cam, cap. de responsione Iesu Simonem arguentis:
vbi effusionem vnguenti super caput Christi San-
ctus Doctor spiritualiter intelligit. *Litera enim*,
inquit ille, *occidit*. Paulus tamen aliud significare
vult, vt iam ostendimus. Nec satis intelligo,
quomodo effusio vnguenti materialis facta spiritu
charitatis, & religionis possit occidere.

Tertio obseruandum est, falsam esse quorun-
dam sententiam, qui affirmant cum Iudeis, in
omni loco veteris testamenti contineri aliquid
prius gestum in priori populo, quod deinde figura
sit eius, quod in Euangelio futurum erat: sunt
enim quædam testimonia veteris testamenti, quæ
in literalis, & primario sensu propheticè accipien-
da sunt de futuris sub nono, vt tradit Tertullianus
libr. de resurrectione carnis, à capite 26. & libro
contra Iudeos, cap. 7. & sequentibus, & contra
Marionem lib. 3. cap. 3. quale existimat esse Hiero-
nymus illud Isaia cap. 7. *Ece Virgo concipiet, &c.*

Hoc autem genus interpretandi Scripturam,
quod hisce temporibus à quibusdam in Hispania
nostra, nescio quo spiritu, cepit edoceri, olim
contra Theodorū Mopsuestiæ Episcopum dam-
natum fuisse à Pontifice Vigilio in synodo Roma-
na, cui viginti Episcopi interuerunt constat ex
collectione variarum epistolarum Pontificum,
quam Antonius Augustinus Archiepiscopus
Tarraconensis ex Bibliotheca Vaticana descripsit.
Meminit etiam huius damnationis notus Fran-
ciscus Turrianus in cap. 5. 2. libri Apostolicarum
constitutionum Clementis Romani, vbi aliquos
refert locos, quos in hunc sensum Theodorus
explicabat: nec ad ea, quæ in nouo testamento fu-
tura erant applicare volebat.

Quarto

Abulen.
Chrysost.

Hieronym.
Origenes
Ad Heb. 13.

Augustin.
16.

In nouo te-
stamento
mysticus
sensus in-
uenitur.

Quarto nota, mysticum sensum non tantum repetiri in veteri testamento, sed etiam in nouo, cuius oppositum putauit Abulen. q. 28. in cap. 13. Matth. & vt omittam id, quod Chrysost. dicit de ingressu Christi in Hierusalem, Matt. 21. nimirum ira Christum antiquorum prophetias impleuisse, vt alterius ipse prophetia daret initium, in quo facto mysterium etiam intelligunt Hieronymus, & Origenes, sufficiat nobis huius rei manifestum testimonium ad Hebræos 13. *Exeamus & nos extra castra.* &c. vbi Apostolus interpretatur Christum non sine mysterio extra portam ciuitatis passum fuisse. Fateor tamen in veteri testamento, quod plenum sit prophetiis, & figuris, plura esse testimonia, sub quibus mysticus sensus continetur.

Cæterum adducit Abulen. Augustinum, qui libro de utilitate credendi, cap. 3. non de Scriptura vniuersim, sed de veteri testamento solum dixit, quatuor illis modis superius enumeratis tradi, atque doceri: intellexit ergo in nouo testamento sensum mysticum non inueniri. Respondeo, primum Augustinum ibi non agere de sensibus Scripturæ, vt i. cap. probatum est, sed tradere diuersos modos tractandi Scripturam. Deinde dico, ita illud asserere Augustinum de veteri testamento, vt non neget de nouo: ideo autem de veteri mentionem potius fecit, quod hæc sensuum varietas in eo frequentior sit.

CAP. V.

Quomodo mysticus sensus utilis sit ad argumentum.

Castro.

Hieronym.

Quando
mysticus
sensus ad
conuenien-
dum messi-
cæ: quan-
do efficien-
tiam ha-
beat.
Dionysius,
17.

Lutherus.
1. Petri 2.

Verum enimvero, quod ad nostrum spectat institutum, certum apud omnes est, sensum litteralem ita esse manifestum, vt inde efficacissima ducantur argumenta, ad fidei dogmata comprobanda, sicut rectè admonet Alphonsus de Castro i. libro contra heres. cap. 3. contra vero sensum mysticum non ita deferuire, id quod videtur docuisse Hieronym. lib. 2. in Matth. tractans illud c. 13. de fermento, quod abscondit mulier, &c. vbi postquam applicauit ad Trinitatem subiungit: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola.* & dubia enigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere. In quem sensum Dionys. etiam in epistola ad Policarpum dixisse videtur: *Mystica Theologia non arguit:* imo addit Alphonsus, errasse multos volentes ex sensu mystico suam doctrinam comprobare: exempla tamen, quæ ipse adducit, sunt hæreticorum, qui litteram perversè interpretantes in suam sententiam petrahebant, & vbi erat impropria, seu metaphorica locutio, sine illa Scripturam vsurpabant. Qua ratione Lutherus ex illo 1. Petri cap. 2. *Vos autem, gens sancta, regale sacerdotium:* colligit omnes indiscriminatim Christianos sacerdotes esse ad offerendum Deo, non solum orationis, & bona opere, quæ latiori quadam significatione sacrificia dicuntur, sed etiam proprium, & verum altaris sacrificium, quod solum est sacerdotum in Ecclesia Dei consecratorum.

August.

Verum cum mysticus sensus sit etiam ex intentione Spiritus sancti, cum de eo nobis constat, sicut in locis, vbi aut Christus Dominus, aut Evangelicus Scriptor ipsum elicit, absque dubio ita efficaciter nobis deferuire potest, atque literalis: id quod ipse etiam Alphonsus expresse notauit, & ex verbis Augustini epist. 48. deducere sibi visus est: inquit enim, *Quis autem non impudentissime ni-*

tatur aliquid in allegoriam positum pro se interpretari, nisi habeat & manifestissima testimonia, quorum lumine manifestentur obscura? Augustinus tamen eo loco non de mystico sensu, sed de literalis per metaphoram, seu, vt ipse vocat, allegoriam significato, loquitur: de hoc ergo, quando obscurus est, & non constat per manifesta indicia, inquit, impudentissime pro se hæreticos illum interpretari, sequentes tantum litteræ corticem, vt in exemplo, quod ipse adducit, apparet. Donatistæ enim, qui Africæ partes habitabant, apud se esse veram Ecclesiam contendebant, in cuius confirmationem afferbant illud, Canticorum 1. *Vbi pasceas, vbi cubes in meridie,* quod partim spiritualiter, nempe de Ecclesia, partim etiam ad litteram intelligentes de meridionali plaga, impudentissime pro se allegabant.

Vera est nihilominus prædicta sententia Alphonsi de Castro, cum asserit, mysticum sensum ad argumenta Theologica inutilem esse, nisi ex alio Scriptore sacro de ipso constet. Adde, vel nisi communis Patrum sententia in eum sensum, locum interpretetur: sic enim magni momenti est, sicut etiam literalis. Quia tamen, vt plurimum, de illo non ita constat, sicut de literali, in omnibus locis, ideo inutilis censetur ad arguendum, quia nobis incertus est.

Porto ipsi Scriptori sacro, testimonium antiquioris Scripturæ, quo in sensu mystico vtitur, bifariam seruire potuit. Primum ad illustrandum historiam, vt patet ex dictis in disputat. 14. cap. 4. qua ratione affertur illud Osee 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum,* & alia ibi enumerata. Deinde seruire potuit tale testimonium, quoties de sensu mystico iam antea constabat: sicut diximus de illo Exod. 12. *Os non comminuatur ex eo:* vel quando facili ratione talis sensus colligi poterat: sicut ex illo Deuteronom. 23. *Non alligabis os boni triturantis:* deducit Paulus ministros Ecclesiæ alendos esse, vt cap. 2. notauimus: atque hoc modo utilis fuit Scriptori sacro mysticus sensus ad arguendum contra omnes suæ ætatis infideles: sicut etiam sensus accommodatius utilis esse potuit optima ratione naturali confirmatus, vt disput. illa 14. cap. 5. dictum est.

DISPUTATIO XVII.

An sub eadem littera plures sensus literales continentantur.

Sub eadem littera nunquam esse, plures sensus literales, docuit Michael Medina, cap. 1.

Sub eadem littera esse plures sensus literales communis opinio fert, cap. 2.

Adhibita quadam moderatione posterior sententia probatur, cap. 3.

Solutio argumentorum vtriusque opinionis, cap. 4.

CAP. VI.

Sub eadem littera nunquam esse plures sensus literales, docuit Michael Medina.

Cum inter cæteros Scripturæ sensus literales ad arguendum præcipuus sit, superest, vt examinemus id, quod proposuimus. Plurimum enim refert nosse, an sub eadem littera vnicus tantum sensus, vel plures contineantur literales, vt sciamus eum elicere, qui nostræ disputationi magis conuenit: in præsentem vero corrouerſia, duæ tantum sunt opiniones. Prior est Michaelis Medina,